

« abscondere, ne nos vane gloriæ exponamus, qui ad eam proni sumus. Tanto magis plus prædicant, » dicit idem Auctor, « quia tanto magis Deus cœlis præcipiebat, qui humilia respicit in cœlo et in terra, ipsoque exaltat. »

Aditio.

a. — Et præcepit illis ne cui dicerent. Magnum divinæ omnipotentiae signum occultari jubet Dominus, quod ex omnia scientia sua, hos homines divulgatos sciebat. Cur ergo præcepit, ut opus miraculosum facerent, quod præsciebat tanto magis prædicatos, quanto magis silentium commendabat? Et ad quid apprehendit hominem seorsum a turba, cum ipse sciret opus esse divulgandum? Respondent Eusebius Gallicanus *Hon. in Dom. XII post Pent.*, Beda, Haymon, Carthusianus, id factum ut ostenderet, quantopere vanam gloriam aversaretur. « Nobis, » ait Beda, « exemplum dare voluit, ut virtutum opera facientes, vitium jaentiae gloriamque vitemus humanam. » Magnorum virorum est, non habere præ foribus suas virtutes, non ostentare thesauros gloriæ suæ, et ideo Christus celare miraculum jubet; quem plurimi Sanctorum secuti sunt, qui ne vanam incurrerent gloriam sanctitatem celarunt. Obigit S. Paulo Apostolo specialis hæc prærogativa videndi Deum, ut Theologi loquuntur, *per modum transeuntis*; aliquot vicibus raptus fuit ad Paradisum, ubi ei revelata sunt secreta divina: *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*; et tamen, ut colligitur ex ejus Epistola, tacuit spatio quatuordecim annorum post raptum et visionem illam, nec minimam ejus fecit mentionem. *Scio hominem ante annos quatuordecim raptum hujusmodi, usque ad tertium cœlum*. Ubi Theophylactus notat: « Ut discas, ut cum quatuordecim annis conticuit, nec nunc protulisset quidem nisi necessitate compulsus fuisset. » Ubi quoque observandum est, non id eum in propria, sed in tertia persona dicere: *Scio hominem*, ut omnem a se amoveat ostentationis umbram. Ideoque Chrysostomus ait: « Vide extenuandi verbis quam large sit usus. »

VERSUS 37.

Et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit; et surdos fecit audire et mutos loqui.

Bene omnia fecit.

1. — Angelus de Paz hujusmodi rationem reddit; quare Christus omnia fecisse diceretur bene: « Quia Deus, qui bonus per essentiam cum sit, perfecta semper operatur; unde vidit cuncta, quæ fecerat et erant vultu bona. » Sed opponet forte quispiam illud Psalmistæ, *Psal. xxxix, 13*, lamentum: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*. Quis enim videt, omni ex parte, in hac lacrymarum valle, quanta in dies et poenæ et culpæ

inundent dispensia? Huic objectioni satisfacit celebre illud S. Augustini axioma, *Enchir.*, III, 25, dicens: « Deus meus judicabit de malis beneficiæ, quam mala nulla esse permittere. » Et alibi, *de Civit. Dei*, XII, cap. xi, pariter: « Neque enim Deus omnipotens, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset, omnipotens et bonus, ut beneficeret etiam de malo. » Unde Joseph a fratribus suis in Ægyptum venditus, profitebatur dicens, *Gen.*, xxx, 29: *Vos cogitastis de me malum et Deus vertit illud in bonum*. Duplex est, ut diximus, in orbe malum, culpæ scilicet et poenæ, primum gravius secundo; illud S. Bernardus dum sollicitè disculit, *Serm. II sup. Ps. Qui habit.*, magni perhibet esse originem boni: « Miro quodam modo ipsum peccatum etiam in iustitiam cooperatum et humiliores efficitur et cautiore. » Hujus porro multiplicæ fructus paucissimis hinc verbis subtiliter concludit Apostolus, *II Tim.*, II, 12: *Si sustinuerimus et congrebimus. Mala enim poenæ, cum amore et patientia Christiana tolerata directam nobis in eorum viam planant.*

2. — Verbum bene variis vestit circumstantiis Salmeron: « Bene omnia fecit: potenter, sapienter, iuste, misericorditer, suaviter, opportune omnia fecit. » S. Bonaventura omnia examinans, dicit: « Omnia per ipsum facta sunt: Per quem factus est Angelus, et per ipsum factus est vermiculus; unde omnes Reges, et Pontifices, et Imperatores, de tota potentia sua non possent creare unam muscam. »

3. — Nequaquam de nobis verificari potest: *Bene omnia fecimus*. Utpote qui collatis in nos a Deo beneficiis, qui tempore, sanitate, juventute, ingenio, sensibus, divitiis, tribulationibus et infirmitatibus abusi fuimus, cum tamen Deus hæc et illa concesserit, tanquam profectus et salutis nostræ media; Sacramenta, bona consilia, pia exempla et omnia alia, salutis nostræ cœlitus destinata, auxilia flocci æstimantes, *mala omnia fecimus*; quapropter supplicemus ei, ut mala convertat in bonum, quia potens est de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ. *Matth.*, III, 9.

4. — « Quod certe eloquium in solum Deum competit, » ait Jansenius, « nemo enim mortalium, qui bene omnia fecit; quia non est iustus, qui non peccet. » Unde *Eccli.*, xxxix, 21: *Opera Domini universa, bona valde.*

Et surdos fecit audire et mutos loqui.

5. — Docte animadvertit Dionysius Carthusianus, S. Marcum non meminisse hujus in surdo et muto perpetrati miraculi, cum omnibus illis circumstantiis et personis, cum quibus illud nobis representat S. Evangelista Matheus, hic enim alios insuper tum surdos et mutos, hæc cecos et

mancos annectit: « Sed Marcus scribit de uno, cuius curatio solemnius facta est et multa mystica figuravit, eratque mirabilior, quia in uno homine tria signa simul facta videntur; dum obsessus liberatur, surdus auditus et mutus loquens caperat. »

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCE, CAP. X, VERS. 23

23. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.
24. Dico enim vobis, quod multi Prophetae et Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ vos auditis, et non audierunt.
25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum et dicens: Magister, quid faciendū, vitam æternam possidebo?
26. At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est, quomodo legis?
27. Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut teipsum?
28. Dixitque illi: Recte respondisti; hoc fac et vives.
29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus?
30. Suscipiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.
31. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præterivit?
32. Similiter et Levita cum esset secus locum et videret eum, pertransiit.
33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est.
34. Et approprians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.
35. Et altera die protulit duos denarios et dedit stabulario, et ait: Curam illius habe; et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.
36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?
37. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum; et ait illi Jesus: Vade, et tu fac similiter.

VERSUS 23.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

Beati oculi, qui vident.

1. — Textus ille contrariari videtur alteri, quem a S. Joanne allegatum, cap. xx, 49, et a Christo pronuntiatum novimus, nimirum: *Beati oculi, qui non vident et crediderunt*. Difficultatem hanc Tolemus resolvit, considerans, sanctum Apostolum Thomam, negando se crediturum nisi videret, intendisse visionem, velut indicem et conditionem, sine qua non, fidei suæ; quia ut primum ipse Magistrum suum vidit, illico eum resurrexisse credidit, et ideo inibi Christus præponit illos, qui credunt absque eo, quod a sensu visus ad credendum inducantur. In præsertim autem Evangelio: « Simpliciter et absolute, consideratur aspectus et presentia Christi; hoc autem fuit insigne beneficium et privile-

gium, nec ob eam presentiam, discipulorum fides minor fuit; nam etsi Christum viderunt, ipsum tamen Messiam et Dei Filium esse non viderunt, sed crediderunt. »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus in *Catena* per verbum *videre* non semper visionem strictè dictam, designari docet: « Illud autem scire convenit, quia videre non significat actum oculorum, sed mentis recreationem in præteritis beneficiis; puta, si quis dicat: Iste vidit bona tempora, id est, gavius est in bonis temporibus, secundum illud: *Videns bona Jerusalem*. » Multi quidem Judeorum oculis suis viderunt Christum, sed non crediderunt in eum, nec quidquam ipsis in redemptionem profuit adventus et presentia Christi. Albertus Magnus in persona Christi, quinam videndo Salvatorem beati sunt, ostendit inquam: « Beati sunt, qui sic me exterius aspiciunt, quod interius divinitatem

« per fidem in me, ex exterioribus miraculis intelligent. » Dionysius Carthusianus dictam visionem tam de corporali quam et spirituali simul intelligendam esse existimat: « Predicta intelligenda sunt de visu et auditu inferiori, conjuncto visu et alique auditu exteriori. »

Quæ vos videtis.

3. — Advertendum est, Christum non dicere tantum et solitarie: *Qui videt*; sed incunctanter adjungere: *Quæ vos videtis*. Duo autem, prout Cajetanus considerat, videnda erant in Christo, docente et miracula perpetrante: Primum omnibus tam bonis quam malis commune, scilicet contemplari miracula et visibilem humanitatis speciem; secundum, bonorum tantummodo oculorum objectum erat, viva fide credentium, ipsum esse promissum in lege Messiam Filium Dei et Salvatorem mundi. Utriusque hujus objecti differentiam prædictus Auctor sequenti assignat discursu: « Non dicit beatos oculos, qui vident primum, cum hoc viderint et etiam multi iniqui, sed qui vident utrumque; et propter hoc enim limitando dixit: *Quæ vos, electi et et hinc videtis*; » vos scilicet Apostoli mei, quibus datum est nosse mysterium regni Dei. De qua felicitate Didacus Stella ita discursit: « Erat quadam beatitudo, videre hominem illum, quem sciebant et verum Deum esse, in quo omne bonum nostrum et postium esse agnosceremus. » Beatos profecto hi discipuli se proclamare poterant, utpote qui præsentia fruebantur sacrosanctæ Redemptoris nostri humanitatis, intra quam pretiosissimus divinitatis, Paradisum beatificantis thesaurus sese occultabat. Beati utique erant ob celestem Christi conversationem; unde majori cum veritate quam Apostolus Paulus, *Phil.*, iii, 26, dicere poterant: *Conversatio nostra in cælis est*. S. Petrus Christum quadam vice alloquens, *Joan.*, vi, 69, dicebat: *Verba vitæ æternæ habes*. At discipuli pignus possidebant beatitudinis; quia hæc est vita æterna; ut cognoscat te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum. *Joan.*, xvii, 3.

4. — Iterum sese longe fortunatissimos existimare poterant, quia jam tum novæ legis gratiæ et Evangelicæ primitiis fruebantur, cum admirabili incremento et maxima ad legem Mosaicam differentia. Beatos dicebat regina Saba Salomonis famulos, *III Reg.*, x, 8: *Beati viri tui et beati servi tui, qui stant coram te et audiunt sapientiam tuam*; sed: *Ecce plus quam Salomon hic*. Videtur in præsentii verificari potuisse, quod olim, in diverso licet proposito, populus Hebraicus asseruit, *Num.*, xxiv, 23: *Hec quis victurus est, quando ista faciet Deus? Industrie hanc legis gratiæ prærogativam nobis expressit Didacus Stella hocce sermonis compendio: « Videmus peccatum primorum parentum per Christi mortem abolitum, Deum factum patrem nostrum, et fratrem nostrum; vade et dic fratribus tuis: Ad-*

« vocatum habemus apud Patrem, cælum nobis patet, a non fecit taliter omni nationi. » De antiqui Testamenti Patribus dici potest, quod viderunt per speculum in ænigmate, nos autem facie ad faciem, gloriam Domini speculantes. Totus olim mundus, parvo excepto Judææ districtu, per tot sæculorum intervalla, genibus flexis demonia falsaque simulacra adorabat; ast hodie fidei nostræ catholice triumphat veritas; hodie propheticum verificatur dictum: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psal.* xcn, 5. Partim tot figurarum et prophetiarum adimpletionem, partim tam frequentia miraculorum confirmationem et dogmatum soliditatem, ut nihil dicam de irrefragabili millium aliorum signorum evidentia. Ipsi iidem Hebræi, qui præ omnibus terrarum populis, veri Dei cognitionem habebant intolerabilibus et innumerabilibus intricati erant caeremoniis, ritibus et præceptis, sustinentes sarcinam, ut inquit S. Augustinus, *Serm.* ix de verb. *Dom.*, innumerabilium observationum. Nos vero suave duorum præceptorum, amoris scilicet Dei et proximi jugum portamus, nobis in statu legis Evangelicæ abundans confertur gratia, negata Hebræis, præceptorum gravitate obrutis, *Joan.*, i, 17: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*. Illis dicitur, *Rom.*, vii, 13: *Acceptis spiritum servitutis in timore*. Nobis autem: *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater*. Neque mirum, quia nos non sumus ancilla filii, sed libera. Ipsi per multorum series sæculorum, grave sufferentes Mosaicæ legis jugum, post vitam hanc, æternam in sinu Abrahamæ retributionem expectabant; nos vero, qui ultima laboris hora vineam Dominicam intravimus, indilate beatitudinis denarium obtinemus. Dixerit merito quilibet Christianus: *In loco pascuæ ibi me collocavit; super aquam refectiois educavit me. Psal.* xvi, 2. Populus Hebræorum manna recreabatur celesti, nos sanctissimo Christi corpore; illis miraculose aqua fundebatur de petra durissima, nobis Dei Filii sanguinis flumen ducit e venis propriis, ut lacaret nos a peccatis nostris in sanguine suo. *Apoc.*, i, 3. Israeli Deus in hereditatem dedit Palestinam, at nobis regnum cælorum. Considerate vos denique ipsimet nimiam aliorum auxiliorum ad salutem nostram collitis hodie subministratorum abundantiam, beneficiorum immensitatem et eminentiam, Sacrificiorum et Sacramentorum majestatem, bonorum exemplorum frequentiam, intercessionum Sanctorum efficaciam, Librorum sacrorum et spiritualium prælium, Reliquiarum et Indulgentiarum thesauros, Verbi divini disseminationem, precum fervorem et alia hujusmodi, quæ Deus legi Evangelicæ clementer impertivit.

Additiones.

a. — *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*. Beati oculi, tum corporis, tum animæ. *Matthæus* addit:

Et aures vestras; quod eodem modo intelligitur, tam externæ corporis aures, quam internæ, scilicet animi. Et est sensus: O vos Apostoli mei, beati sunt vestri oculi corporis; vident enim mea sancta opera, mysteria ac miracula, meos sanctos mores, ac gestus. Vestræ aures beatae sunt, cum audiant meam celestem doctrinam. Sed multo potius beati sunt vestri oculi, vestræque aures internæ mentis, nam divina gratia illuminante, illa omnia capitis, creditis et intelligitis. Volebat illis Dominus demonstrare, quantum esset beneficium vocatio ad fidem. S. Anselmus tunc Apostoli textum ponderans: *Fidelen me existimavit*, *I Tim.*, i, 12, ait: « Justum est, ut illi grates referam, qui fidelem me existimavit. » Idem quoque Sanctus, alibi infinitum hoc bonum meditans, inquit: « Christianum me fecisti vocari de nomine meo, per quod et ego coniteor, et tu noscis me inter redemptos « tuos, et erexisti, et levastis me ad notitiam et « amorem tuum. » Volvisti vellem super universæ terræ vasitate oculos vestros et majorem illius partem, Ægyptiis tenebris, atheismi, paganismi, hæbraismi et Alcorani involutam, totque hæresum erroribus implicitam esse invenietis. Quanam igitur prærogativa gratiæ est ista, quæ nos in clara Evangelii luce, et in religione Catholica Romana nasci fecit? In quot eheu provinciis et regnis, justo Dei judicio fides amissa est? Quot sæcula elapsa sunt, in quibus si modicum quemdam mundi angulum, Palestinam scilicet exceperis, totum universum dæmonibus cultum et adorationem seriem, nullam vel modicam habebat veri Dei notitiam? Quod si in hæc tempora natale tui incidissent, quidnam, obsecro, de te futurum fuisset? Quot Catholici in Germania, Belgio, Francia, Anglia et aliis mundi partibus, a diabolico Calvinii et Lutheri aliorumque hæresiarcharum contagio sæculis superioribus infecti et mortui sunt? *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Joan.*, vi, 24. In ipso enim momento in quo anima mea creata fuit, haud dubie dena et forsitan centena millia animarum simul creata fuerunt, ex quibus pauca in corporibus aqua baptismali ablatae fuerint. Quodnam igitur anima mea apud Creatorem meritum habuit, ut illum inter innumeras alias erigeret, quam sanctæ et orthodoxæ fidei sue notitia illuminaret? « Magnum æstimo beneficium, » inquit S. Augustinus, « quod ex tempore et inter tales me nasci voluit Deus, per quos ad fidem et Sacramenta pervenerim. Vide innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor esse concessum, cum quibus tanto nobis est una conditio. » Illi derelicti sunt per justitiam, et ego vocatus sum per gratiam. Omnes ex eodem luto plasmati sumus; omnes in Adam pariter peccavimus; omnes denique ad eandem massam damnatam pertinemus. Quod vero Deus mihi hanc gratiam

me prædestinavit, mihi que tot auxilia spiritualia, porrigendi concesserit, idipsum ex sola ipsius inflata erga me beneficentia in me derivatum fuit, quia: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Rom.*, ix, 16.

b. — Videtur Christus huic repugnare sententiæ, qua dixit illuminato jam D. Thomæ: *Beati qui non viderunt et crediderunt*. Si beati sint qui non viderunt, quomodo beati qui vident? Beatus fuit D. Thomas qui vidit oculis suis Christum a mortuis redivivum et animo credidit, quod Deus esset; et beati sunt illi qui non videndo oculis corporis, tamen credunt. Hoc Dominus dixit ad nostrum solatium; si namque doleamus eo quod illum minime videamus, ut beati, qui illo tempore vixerunt; audiamus ex ejus ore etiam beatos esse, qui illum non videntes oculis corporis, credant tamen oculis fidei; et maxime beati illi qui oculis fidei illum credunt, etiam nunc existere in Sacramento Eucharistiæ, ad quod hæc maxime est necessaria. Hoc enim Sacramentum Ecclesiæ sancta a Spiritu Sancto directa, in verbis consecrationis sanguinis Eucharistici, nuncupat per aliosaniam fidei nostræ mysterium: *Hic est calix sanguinis mei, mysterium fidei*.

c. — Non hic loquitur Christus de visu spiritualis fidei, de quo quondam locutus est Thomæ Apostolo, dicens: *Quia vidisti me, Thomæ, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt. Joan.*, xx, 29. Sed loquitur de singulari privilegio, ac insigni beneficio per respectum simpliciter ad Christi presentiam, qua illum ut verum Messiam et Filium non viderant, sed divina fidei revelatione crediderunt, et ideo valde beati dicuntur, quia oculo corporis ac mentis eum intuiti sunt. Si igitur in mortali corpore Christum videntes, beati dicuntur, quam non magis beati sunt nunc, cum illum in essentia Deitatis contemplantur, in qua omnigena pulchritudo videtur? Quotidiana in nobis experientia verum esse comperimus, quod dum rem aliquam rare pulchritudinis videmus, et multo magis dum eandem ut propriam possidemus, miram inde dejectionem et voluptatem capiamus. Ac proinde quæ gaudium et delectationem illum per dignitate explicare poterit, quam beati degustabant, indelicenter videndo faciem illum, quæ gaudium est celestis Paradisi, simulque fruendo illo omnium spirituum Angelicorum, animarumque glorificarum incomparabili splendore et pulchritudine; nam ut S. Bonaventura ait: « In « celesti patria corda beatorum sibi invicem in « claritate lucent et puritate translucent; ibi unus « cujusque vultus aspiciat. » Quamvis omnis nostra delectatio specialissime in Dei clara visione consistat, ut proinde David merito dicat, *Psal.* xxvi, 8: *Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*; et S. Augustinus: « In qua sola consistit tota « gloria sempiterna beatorum, quam quidem vi-

« dere vita aeterna est et gloria sempiterna Sancto-
rum. » Idem sanctus Doctor, in *Medit.*, xvi, ait :
« Cogitemus igitur quale et quantum electorum
« sit unicum et singulare gaudium, illud scilicet
« summum bonum, quod vita, lux, beatitudo,
« sapientia et aeternitas est. » Porro primus et
« praecipuus hujus gaudii fons in divina essentia
« trium personarum, potentia Patris, sapientia Filii
« et bonitatis Spiritus Sancti clara visione consistit.
« Ibi enim videmus, qua ratione Pater ab aeterno
« generet Filium, suam ei communicando substan-
« tiam; et ambo, scilicet Pater et Filius, tanquam
« unum principium aeternum spirant Spiritum Sanc-
« tum, divinam ei communicando essentiam suam, et
« tamen in quolibet trium personarum omnis remaneat
« perfectio. » Ibi videbitur, » ut S. Augustinus ait,
« tranquillitas juvenilitatis, jucunda felicitas,
« felix aeternitas, aeterna beatitudo, et beata Tri-
« unitas, et Trinitatis unitas, et unitatis Deitas, et
« Deitatis beata visio, quae est gaudium Domini Dei
« tui. »

d. — Videbant Christum aeque Judaei quam Apo-
« stoli, et tamen praeter illis beati dicuntur; aut videbant
« Apostoli sub illa carnis larva animarum nostrarum
« salutem; videbant mirabiles inventiones quibus
« Christus usus est ut magis pro nobis pateretur;
« videbant quomodo corpus assumendo passibile redi-
« mere nos voluit. Quod Judaeis quidem scandalum,
« Gentilibus autem scandalum reputabatur. Et idcirco
« Apostoli praeter illis beati dicendi sunt.

e. — Christus Dominus non dicit tantum : *Beati*
« *oculi qui vident*; sed inenutanter addit : *Quae vos*
« *videtis*. Non enim verbum, *videre*, semper visionem
« stricto dictam designat. S. Cyrillus Alexandrinus
« ait : « Illud autem scire convenit, quia, *videre*, non
« significat actum oculorum, sed mentis recreationem
« in praeteritis beneficiis; puta si quis dicat : Iste vidit
« bona tempora, id est, gavisus est in bonis tempo-
« ribus, secundum illud : *Videas bona Jerusalem*. Sic
« merito beati dicendi sumus Christiani, qui oculo
« fidei considerantes beneficium communicationis
« corporis et sanguinis Christi, in illo recreamur,
« et in fide soliamur; quod plerumque fit in sacro
« Missae officio, quod est fidei nostrae columna et
« fundamentum quoddam. Repertus Abbas, *de div.*
« *offic.* disserens, verba illa, quae Christus Apostolis
« suis in ultima Cena dixit, videlicet : *Hae quoties-*
« *cunque feceritis, in mei memoriam facietis*, ponderans,
« ait : « Anter a eantu Ecclesiae quotidianas
« Salvatoris nostri hujusmodi exequias, et vide
« quam merito dicat ipse Salvator : *Quae utilitas in*
« *sanguine meo?* Refrigerante enim ea, quae in hoc
« munda nunc ubique calet, ejus memoria, refri-
« gescet universa charitas, mutata illa fides, claudi-
« cabit spes, conticescet magnus ille clamor san-
« guinis justi Abel, qui per traditam tanti sacrificii
« ritum, quotidie laetant os libantis et vociferantis

« terre, scilicet Ecclesiae maledictum coarguens
« Cain, et maturam indignae fusi sanguinis vindic-
« tam repositens. Calente ergo memoria tam cele-
« bri, charitas Christi concalescit, perstat super
« fundamentum suum aedificium fidei. »

VERSUS 24.

Dico enim vobis, quod multi Prophetae et Reges
« *voluerunt videre, quae vos videtis, et non vide-*
« *runt; et audire quae vos audistis, et non audierunt.*

Dico autem vobis, quod multi Prophetae et
« *Reges, etc.*

1. — In S. Matthaeo, xiii, 7, dicitur : *Multi Pro-*
« *phetae et justi*. Glossa ait : « Prophetae et justii, a
« longe gloriam Domini viderunt in *speculum per*
« *anigmata*, sed Apostoli praesentem Dominum ha-
« bentes, et ab ipso, quae volebant, interrogantes,
« non per Angelos, vel varias visionum species,
« docebantur. » De iisdem sanctis Prophetis et
« Patriarchis Hugo Cardinalis dicit in persona
« Christi : « *Voluerunt videre, quae vos videtis, oculo*
« *corporali, scilicet me miracula facientem.* » Ur-
« gebat Moyses, *Exod.*, iv, 13 : *Mitte, quem missurus*
« *es*. Instabat David, *Psal.* cxlxi, 5 : *Inclina oculos et*
« *descende; ostende faciem tuam et servi erimus*. Clam-
« abat Isaias, xvi, 1 : *Mitte Agrum, Domine, Dominato-*
« *rem terrae*. At Christus, omnibus his sanctis Patriar-
« chis et Regibus relictis, pauperes et contemptibiles
« elegit piscatores. Unde Didacus Stella ait : « Obser-
« vandum, quam parum valeat, coram oculis Dei,
« vel Regem esse, vel Prophetam, vel Principem, vel
« Magnatem, divitem aut potentem, qui oculos con-
« jecit in pauperes piscatores contemptos iudicio
« mundi; et hos in amplissimas dignitates elevat,
« potentes vero dejicit. »

2. — Beda eodem et justos et Reges nomine
« nuncupari advertit, cujus rei sequentem tradit
« rationem : « Ipsi enim sunt Reges magni; qui ten-
« tationum saarum motibus non consentiendo suc-
« cumbere, sed regendo praesesse noverunt. » Ru-
« pertus Abbas Deum Abraham dicere notat : *Ponam*
« *te in gentes, Regesque egredientur ex te*; « Reges hic
« recte accipiuntur, » inquit Auctor ille, « qui apud
« ipsum pro fidei merito noti sunt, de quibus ipse
« in Evangelio : *Dico enim vobis, quod multi, etc.* »

Audire quae vos audistis, etc.

3. — S. Bonaventura, in *Luc.*, dicit : « Hoc enim
« erat maximum beneficium, audire Deum loquen-
« tem, non per creaturam, sed in propria persona,
« et quod commemoratione Apostolorum ait : *Mullifia-*
« *riam, multisque modis olim Deus loquens in Pro-*
« *phetis, novissime diebus istis locutus est nobis in*
« *filio. Heb.*, i, 1. »

4. — Sciendum, nos non minori hodie privilegio

frui, quam ipsi olim discipuli, visibiliter divina
« Christi praesentia gaudentes, frui fuere; nobis
« namque ipsemet expresse dixit, *Math.*, xxviii, 20 :
« *Ego ego vobiscum sum omnibus diebus; et nos cor-*
« *poralem ejus praesentiam in sanctissimo Altaris*
« *Sacramento veneramus; audierunt illi sensibilem*
« *loquentis vocem, nos eam in dies in Evangelio*
« *excipimus et per servos ejus, de quibus ipse at-*
« *testatur, Luc.*, x, 16 : *Qui vos audit, me audit.*

Additio.

a. — *Dico enim vobis quod multi Prophetae et Reges,*
« *etc.* Magno desiderio antiqui Patres tenebantur
« videre Dominum, quod discipulis fuit concessum;
« sed tamen desiderium videndi multum fidem
« eorum erga futurum Messiam extulit. Ex quo desi-
« derio et nos discamus, ut Christum in Sacramento
« Altaris, tanquam famelicis suscipiamus, ut ejus sa-
« cramentali praesentia relevati, tanti epuli dulcedine
« recreamur, tantisque divitiis repleamur; nam hujus
« Sacramenti fructum praeter reliquis participes fiunt
« famelicis. Salvator noster inquit : *Si quis sitit,*
« *veniat ad me et bibat. Joan.*, vii, 37. Quanto autem
« ardentior sitis nostra fuerit, tanto copiosius ex his
« aquis Dominicis bibere poterimus. Unde Christus
« S. Catharinae Senensis ait : « Tantum ergo percipitis
« gratiam ex ipso Sacramento, quantum vos dispo-
« nitis cum sancto Sacramento ad recipiendum. »
« Sponsa caelestis in sacris Canticiis, ii, 4, sancte glori-
« riatur, dicens : *Introduxit me in cellam vinarium,*
« *ordinavit in me charitatem*; adeoque nihil illi
« supererat, quod insuper desiderare posset. At vero
« per quid, se hanc tam excessiva divini amoris sui
« gratia et benevolentia dignam effecit? Audite ip-
« sammet ad hoc suis verbis respondentem : *Sub*
« *umbra illius quem desideraveram, sedi et fructus ejus*
« *dulcis gutturi meo*. Nimirum dilectum suum conti-
« nuo suspirando et desiderando, adeo sibi illius
« sacratissimum corpus sapidum reddidit, ut dicat :
« *Fructus ejus dulcis gutturi meo*. Priusquam ad hunc
« fructum percipiendum accederet, jam ante, atten-
« tant passionis illius meditationem praemisera, seque
« sub arbore crucis, cujus hoc Sacramentum fructus
« est, prius collocavit. Et ideo mirum non est, si
« fructus illius adeo illi sapidus fuit. Sancta Mater
« Ecclesiae, ad hoc Sacramentum, omnes ut jejuni
« accedant statuit, non solum ex motivo reverentiae,
« verum etiam, ut ego quidem existimo, ad insinuan-
« dum nobis famem spirituales quacum ad illud
« accedendum est nobis, si ineffabiles ejus sapes et
« suavitates percipere, et fructum ex eo consequi
« velimus : *Esurientes enim replet bonis; animam esur-*
« *ientem satiavit bonis*. Petrus Cellensis, *de Panibus*,
« ad hoc Sacramentum affectus suos dirigens, ait :
« *Quid dabo, ut ad te veniam, ut me reficias?*
« *Argentum et aurum non est mihi; quod autem*

« *habeo hoc tibi est. Quid?* Palatum apertum, fauces
« *esurientes, oculos praeter inopia languentes.* »

VERSUS 25.

Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum,
« *et dicens : Magister, quid faciendo, vitam aeter-*
« *nam possidebo?*

Et ecce quidam Legisperitus.

1. — S. Ambrosius hoc eum colore depingit :
« Verba legis tenens, vim legis ignorans. » Glossa
« pariter multum hujus Legisperiti insimians, dicit :
« Legis dator, qui sine fide in lege jacebat. »

Surrexit.

2. — Albertus Magnus, verbum *surrexit*, potius
« litteraliter quam spiritualiter interpretans, ait :
« Inter alios demonstrabilis videbatur, surrexit in
« signum majoris elationis, in altum superbie cor
« erexit; » reliquis arrogantior et petulantior Chris-
« tum aggressus est.

3. — « Surgit ut stet, » inquit Glossa : « stat,
« dum Magistrum vocat, sed et stando lentat Deum,
« tacendo quod erat. »

Tentans illum.

4. — Citatus in *Catena* S. Cyrillus, multos tunc
« temporis fuisse doctos, qui insurgere contra Chris-
« tum invidia et malitia, totam passim percurrerunt
« Judaeam, Christus accusantes, quod et legem Mosai-
« cam inutilem esse praedicaret et nova dogmata dis-
« seminaret : « Volens ergo Legisperitus seducere
« Christum, ut aliquid contra Moysen loqueretur,
« adest tentans eum. » Lyranus auctoritatem Bedae
« citans, existimat Legisperitum de vita aeterna in-
« terrogasse, ad observandum, si quid forte Christus
« contra Moysen loqueretur : « Et ideo Christus, per
« verba Moysi respondendo, confudit eum, per hoc
« ostendens, quod derisores fidei Catholicae sint
« confutandi ab illis, qui sciunt et possunt, per
« illud, quod tenent indiscusse. » Glossa tradit, quod
« Legisperitus ille « occasione tentandi accepit ex
« verbis Domini, ubi dicit : *Gaudete, quod nomina*
« *vestra scripta sunt in caelis.* »

5. — Lucas Brugenensis sensui litterali adherens
« ait : « Tentans, experiri volens, an esset aliquid a
« lege alienum responderurus, id enim ex Domini
« responsione manifestum fit, ut quasi apostatam
« et impie defectionis auctorem exagitaret. »

6. — Didacus Stella tum hujus, tum multorum
« aliorum impietatum Doctorum representat verbis
« sequentibus : « Peritum se iudicabat et non quere-
« bat ut disceret, sed ut tentaret, sicut est mos lit-
« teratorum superbiorum; adverte, quemadmodum
« Legisperiti, Doctores et sapientiores sint capita-
« les inimici Christi et qui prius eum et suam doc-

« trina persequuntur; nulla est gens tam pestifera et iniqua, quam litterati. » Modificat autem propositionem hanc subjunctis immediate verbis: « Ut litterati, qui depravatam habent conscientiam; adducique exemplum in Lutero, quod extendere poteris ad plurimos alios hæresiarchas.

Magister.

7. — Albertus Magnus dicit: « Magistrum vocat, ut dicit Chrysostomus, cuius non vult esse discipulus. »

Quid faciendo.

8. — Solide hæc verba ponderat Dionysius Carthusianus: « *Quid faciendo*, id est, quibus operibus « promoveri potero et sortiri beatitudinem æternam? Sciebat itaque, quod non loquendo duntaxat, sed etiam operibus virtuosus insistendo, « obtineatur felicitas. » Hugo Cardinalis ita dicitur: « Non dicit: qualiter disputando, aut qualiter « loquendo vel audiendo, cum tamen hæc bona « sint; sed bona operatio necessaria est ad salutem, ubi eam necessitas non excludit; non enim « auditores legis, sed factores justificabuntur. Rom., « n. 13. » Unde juxta doctrinam Toleti, legis ille peritus, verbis hæc, multorum confutavit, hodieque confutat hæresin, credentium et docentium, ad salutem sufficere solam sine bonis operibus fidem: « Hic non sola fide contentus interrogat: *quid « faciendo, vitam æternam possideo?* » quare et Jacobus Apostolus, 1, 25, postquam præmisisset: *Si quis perseverat in lege*, mox prosequitur, dicens: *Factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Eadem est Alberti Magni doctrina, inquit: « Totum meritum in faciendo consistit principaliter, et parum « in dicendo vel docendo, nisi jungatur et opus. »

9. — Notissima est quoque illa apud S. Mattheum, vii, 21, Salvatoris nostri protestantis sententia: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est.* S. denique Jacobus Apostolus in Epistola sua canonica, ubi fuse hæc de materia tractat, aperit hujusce veritatis testimonium perhibet, dicens: *Fides sine operibus mortua est.* Jac., ii, 26.

Vitam æternam.

10. — Existimat Toletus, populum hebraicum notitiam habuisse non solum remunerationis et honorum temporalium, quæ Deus præceptorum suorum professoribus, et observatoribus promiserat, sed etiam æternorum, prout legitur in libro Tobie, ii, 18, qui ad suorum solatium ærmarum dicebat: *Fili Sanctorum simus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Similiter et in Ecclesiastico, xxv, 31, legitur: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Et apud Daniele, xii, 2: *Evigi-*

labunt alii in vitam æternam. Ad hæc erat nos inter et populum istam differentia, quod illi in Christum crederent venturum, nos in presentem; quod illi post mortem in sinu Abrahæ expectare debebant resurrectionem regni celestis, usque ad Christi adventum; nobis autem, mox post nostrum ex hac vita transitum, patet ad Cælum aditus.

Possideo.

11. — Hugo Cardinalis hæc super voce ita dicitur: « Per quod notat, vitam æternam esse « hæreditatem hominum, jure hæreditario possidendam, non in presenti, sed in futuro. » Didacus Stella docet, hoc verbo nobis significari, beatitudinis permanentiam et stabilitatem: « *Possideo*, ait; « quia æternitas est interminabilis vite tota simul « et perfecta possessio. »

Additiones.

a. — *Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans eum.* Malitioso, ficto et doloso animo, hunc Legisperitum ad tentandum Christum accessisse, uniformiter docent sacri Interpretes. Nunc duriusior a Christo excipi et rejici promeritis quidem fuisse, sed a quibus magis implebatur, in eos magis beneficis exstitit, bonum pro malo reddens, sicut in hoc patet Phariseo, cuius dolum salutari doctrina recompensat. Sic cum Dei et Christi Domini proprium sit bonum pro malo reddere, amando et benefaciendo iis qui oderunt nos, similes nos ei efficiamus. Postquam incarnata Sapientia, in S. Luca, vi, 33, dilectionem præscripsisset inimicorum, dicens: *Veruntamen diligite inimicos vestros*; mox nos æterno Patri per misericordie actus similes effici subiecit, inquit: *Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* In quo vero divina maxime relucet pietas? Certe in eo, dum quotidie innumerabiles, easque gravissimas nobis ignoscit injurias, atque offensas; atque hæc indivisibilis est Dei proprietates, quam præ reliquis omnibus in nostram exercet utilitatem, dicente Ecclesia sancta: « Deus cui proprium est misereri semper « et parcere. » Non enim in immensitate, infinitate, omnipotentia, sapientia, aliisque similibus attributis divinis, cum imitari possumus, similesque effici, bene tamen si ad ejus imitationem injurias nobis factas condonemus. Unde et ipse Dei Filius inter omnes virtutes, quæ in ipso resplendent, maxime sibi cordi habuit benignitatem, et mansuetudinem, et ad hujus virtutis exercitium singulariter nos invitans, dicebat: *Discite a me, quia mitis sum.* Ne qualiter æterno Patri similes efficiamur, quisquam ignorare queat, aut dubitare, celestis noster Magister nos clarissime docet et alia vice; nam postquam nobis præcepisset dicens, *Mat., v, 45: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniam-*

tibus vos; immediate subjungit: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Postquam vero, non modo amicorum, sed et inimicorum, quod longe difficilius est, nobis suasisset amorem, subdit quod per hoc exercitium perfectionem acquisituri simus Patris æterni perfectioni similem: *Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester celestis perfectus est.* Circa quæ verba S. Basilius ita dicitur: « Quem « admodum Deus promissæ omnibus lucem imperatur, sic imitatores Dei, charitatis ipsorum radium « æqualiter communicare omnibus debent. Quam « doquidem ubi deliquimus palitur charitas, ejus « loco succedit odium. »

b. — Quamquam hic D. Augustinus, *lib. II de consensu Evang., lxxiii*, existimet fieri potuisse quod homo animo accesserit ille Legisperitus, tenendum tamen est cum S. Basilio, *Hom. in divites æuros*, et aliis, quod ficto et doloso animo accesserit, non ut disceret, sed ut tentaret; in quo demonis vices subit, qui per insidias nos aggreditur, cuique proprium est tentare. Cum vita nostra bellum quoddam sit continuum: *Militia est vita hominis super terram*, hinc est quod non solum manifesti inimici insultus, verum etiam, et multo magis insidie et stratagemata nobis timenda sint occulta, et ideo sicut in libro I Machabæorum, vi, 40: *Distincta erat pars exercitus regis per montes excelso, et alia per loca humilia, et ibant caute, et ordinate*; ita et nos ad pugnos manifestos et technas militares semper parati esse debemus, cum certum sit demonem, ut Richardus de S. Victore monet, « contra « militem Christi, nunc pugnare ex pharetra, per « insidias, nunc ante faciem ejus arma vibrare, « quia alia vitia sub specie virtutum contegit, et « alia, ut sunt, aperta oculis objicit. » Non immerito igitur dæmon Evam decepturus serpentis figuram induit, quod animal astutissimum est, quod unquam super terram creatum fuit; imo « hoc « ingenio est, » ut Nazianzenus inquit, « ut nec « unquam versutiae suæ finem statuat, quamdiu nos « ad cælum properantes viderit, unde ipse dejectus « est. » Cui accedit quod, ut S. Cyprianus ait: « Adversarius vetus est, et hostis antiquus, cum quo « prælim gerimus. Sex millia annorum jam plene « complemur, » loquitur autem Sanctus de suo sæculo, quod vixit, quod fuit tertium post Christum natum, « ex quo hominem diabolus impugnat, omnia genera tentandi et artes atque insidias deji- « ciendi usu ipso veterastatis addidit. » Venator practicus et miles exercitatus et veteranus, inquit S. Bernardus: « Habet nequissimus ille laqueos, « habet et jacula, utpote calidissimus venator homi- « num, solum sifens sanguinem animarum. » Per insidias nos aggreditur, nobisque passim et ubique et in omnibus rebus, innumeros tendit laqueos; nostrum quoque explorat genium, inclinationes et

affectus disquirit, et secundum hos nos tentat, et in lapsum propellit.

c. — *Magister, quid faciendo, vitam æternam possideo?* Pulchra questio nisi per malam querentis intentionem vitata esset; illa enim deberet esse prima nostra sollicitudo, quomodo vitam æternam possidere possimus, ut ex hoc facilius vitam hanc miseram consolationisque terrenas contemnere disceremus. Consideratio enim et spes honorum celestium vanitatem nobis indicat terrenorum. Quod si enim bravium currentibus equis propositum, animalibus illis, omni rationis et discursus expertibus, acutissima addit calcaria, quibus excitata non currunt, sed volare videntur, ut præ cunctis aliis perveniant ad metam, et bravium illis propositum assequi et lucrari possint; quomodo anima aliqua ad gloriam adipiscendam creata et tot stimulis ad Cælum invitata, a sua non evigilabit pigritia, aut per æternam retributionis aspectum a terra se non expedit et volabit ad cælum? Undenam, obsecro, procedebat quod primi fideles adeo a terrenis alieni et expediti fuerint, ut certatim divitias et patrimonia ad pedes detulerint Apostolorum? Num forte non ex eadem nobiscum progenie descenderant et geniti fuerant, de quibus David dicit: *Conglutinata est in terra venter eorum.* Imo vero multi ex ipsis, de numero illorum forsitan erant, qui ex motivo avaritiæ Filio Dei mortem machinati fuerant, ne aliquid lucris ipsorum obstaculum ponere amplius posset; et tamen, ut D. Chrysostomus ait: « Gaudebant et exultabant, cum opes offerant, « maxima herari se putantes, maximeque charitatis esse arbitrabantur, si eas ab ipsis recipere « dignarentur Apostoli, et quasi hi qui ad magnos « quosdam magistratus accesserit, regias semper « inhabitaturi civitates, omnem substantiam suam « in pecuniam commutant et sic illo migrant, ita « plane et tunc faciebant homines illi. » Sed quodnam ad id motivum illorum erat? « Ad cælum « vocati, » inquit D. Chrysostomus, « et ad super- « nam metropolim et regnum, quod illic est, nam « persuasum habentes illic esse patriam, omni « substantia sua in pecunia commutata, ipsam « per Apostolorum manus, illo præmiserunt. » Quamnam putatis fuisse causam, quod S. Petrus a S. Luca arguatur ignorantie: *Nesciens quid diceret, quando dixit: Si vis faciorum hic tris tabernacula?* S. Remigius ait: « Erravit Petrus qui regnum coelorum voluit ut constitueretur in terra, quod « Dominus promiserat dare in celo. » Etenim bona vera, stabilia et immortalia, in caelis, non vero in terra quaerenda sunt, hic enim nec sunt, nec esse possunt.

d. — Illa deberet esse prima nostra sollicitudo, quomodo vitam æternam possidere possimus, ut ex hoc facilius vitam hanc miseram et quidquid in ea peccaminosum est contemnere et vitam immacula-

tam docere possemus. Ad hoc autem nullum juvat iudicii finalis consideratio. S. Propheta Job quærit, xxx, 24 : *Quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus? Et eum quaesierit, quid respondebo illi?* Super quæ verba S. Gregorius ita scribit : « Qui venturum iudicem cogitat indesinenter, quotidie rationum suarum in melius causas parat. » E contra vero, qui male vivit, eo ipso indicat, quod diem hunc tremendum venturum, seque coram supremi Iudicis tribunali presentatam esse minime credat. Unde idem S. Gregorius, super illa Jobi verba, xix, 29 : *Seitate esse iudicium*, ita scribit : « Omnis qui perverse agit, eo ipso, in hoc ipso quo hoc despicit, esse Dei iudicium nescit; si enim hoc timendum sciret, que in eo sunt puniendæ non ageret. Nam sunt plerique, qui extremum esse iudicium vero tenus sciunt, sed perverse agendo testantur quia nesciunt. »

e. — Merito hic Legisperitus, pro adipiscenda vita æterna utitur hoc verbo, *possideo*; quæ enim æternam manent, ea sola sunt, ac possideri possunt; quæ vero temporalia sunt, non manent, et quia sunt quasi non sint, idcirco non vere possideri possunt et pro talibus non debent reputari. De Absalone locutus textus II Reg., xviii, 18, ait : *Porro Absalom creverat sibi, cum adhuc viveret, titulum in Valle Regis; dixerat enim: Non habeo filium et hoc erit monumentum nominis mei.* Tres filios habebat et unam filiam Absalom. Quomodo ergo habens tres filios, erecturus monumentum nominis sui dixerat: *Non habeo filium?* Pulchre Theodoretus citatus a Glossa, rationem reddit ex Josepho desumptam, nimirum « quod filii non possint diu durare. » Merito despicit filios tanquam non essent, qui sciebat eos mortales et morituros aliquando. Quæ enim in æternum non possunt durare, nec debent inter bona existentia numerari.

VERSUS 26.

At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis?

In lege quid scriptum est?

1. — Si Scripturam sacram non sola manu, sed et attento corde pervolverimus, viam salutis eternæ in ea reperiemus, *Joun.*, v, 39 : *Scrutimini Scripturas, in quibus vos putatis vitam habere*; id quod diu ante præmiserat Sapiens, *Prov.*, vi, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Didacus Stella sentit, incarnatam Sapientiam hoc responso voluisse docere nos, in Scripturis sacris inveneri omne id, quod nos credere et operari necessum est, pro possessione vite æternæ consequenda : « Ex Scriptura discere nos oportet, quid sperandum, quid metuendum, fugiendum, acceptandumque sit; omnis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad

docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. II Tim., ii, 16. » In sacre et spiritualis lectionis enconium, Chrysostomus ita discurret : « Perspicuum est, spirituali lectione animam sanctificari, et gratia Spiritus Sancti afflari infundi. » Verumtamen opportunius ad rem nostram, alio quodam in loco docet, quod « Scripturarum lectio, colorum est reseratio. »

2. — Hæc interrogatio Christi convenientissime nobis deservire debet, in materia quacumque dubia; ut igitur omnem in operando, vel omitendo precaveamus errorem, ita nos ipsos alloquamur : *In lege quid scriptum est?* Estne hæc actio mea conformis legi divinæ et charitati proximi? redundante in aliorum perniciem? estne ad majorem Dei gloriam ordinata? etc.

Quomodo legis?

3. — Merito, inquit Hugo Cardinalis, « modum legendi quærit Dominus a magistro legis, in quænuens, non eundem modum legendi inesse omnibus magistris; quidam enim legunt legem, sed docent ore tantum; » citatque textum illum, quod Saluator noster sedentes in cathedra Moysis, Phariseos redarguit, *Matth.*, xxiii, 3 : *Dicunt et non faciunt.* « Alii legunt, sed docent manu tantum, ut simplices, justi et bonæ mulieres, quorum vita « magistra est multis; » et efficacius docent quam « magistri. » Cujus rei veritatem confirmat illo S. Bernardi testimonio, dicentis : « Efficacior est « prædicatio exempli quam verbi; alii legunt, seu « docent ore et manu, ut magistri, qui faciunt « quod docent : hoc tertio modo non legebat iste « magister legis; ideo quærit Dominus : *Quomodo « legis?* id est, quomodo doces discipulos tuos, qui « adhuc nescis, per quid venitur ad vitam? »

4. — Interrogationem hanc : *Quomodo legis?* ad multos alios Doctores dirigi posse, inquit Didacus Stella, qui in scholis cum ingenti discipulorum concursu præsident : « Legisne, ut discipulis proficias, an solum, ut sapientem te jactes et ostentos? quia inter Doctores Israel, qui publice legebant, nullus erat, qui hoc adimpleret. Dixit « Isaias : Ubi est literatus? ubi est legis verba « ponderans. »

5. — Albertus Magnus aliter commentatur, dicens : « Hoc est, ad quem intellectum legis? quasi « dicat : Multi errando legunt Scripturas. »

6. — At juxta S. Gregorii mentem, per verba illa ingens reprehenditur legentium error : « Quidam non quærunt in lectione ea, unde ad virtutem erudiantur, sed ea, unde singulariter eruditi « appareant. » Quapropter fructuosus nos docet libros sacros legendi medium S. Augustinus, *Ep.* cxxix, dum ait : « Optime uteris lectione divina, si « eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad

« imaginem suam anima respiciat, ut vel læda « quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. »

Additio.

a. — *At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est?* Scripturarum lectio, colorum est reseratio. Quando Saluator noster Ecclesiam suam similem esse dicit thesauro in agro abscondito, de sacris Scripturis, me iudice, locutus est, quarum mysteria ut plurimum sunt recondita et occulta. In eaque opinione confirmor per D. Chrysostomum dicentem : « Merito thesauro confertur divinarum Scripturarum lectio; nam sicut ex illo, quisque vel parvum fructum capere vellet, multas sibi parat divitias; ita et in Sacra Scriptura, etiamsi in brevi « dictione variam sententiarum vim et immensas « divitias invenire licet. » Porro hic librorum sacrorum et spiritualium thesaurus quotidie in Ecclesia angetur, dum laboribus locupletatur tot Doctorum, Theologorum, tam scholasticorum quam moralium; tot Canonistarum, Prædicatorum, Scripturæ Interpretum, Historicorum, totque aliorum librorum mysticorum et spiritualium, quemadmodum quotidie cum notabili fidelium profectu experimur.

Magna est utilitas quam Ecclesia, pro augmento et conservatione fidei et honorum morum recepit ex libro sacris.

Libros spirituales lumen et notitiam Dei veritatisque nobis communicare innumeris potest confirmari exemplis.

Ex libris spiritualibus lectis hauritur spiritus, devotio et fervor in via Dei, et quævis alia virtus.

Lectio sacra est veluti speculum quoddam quod per reflexum divina nobis attributa ostendit, animam virtutibus venustat, atque a culparum maculis emundat.

Libri sacri in tribulationibus consolationem afferunt. Auctor illorum Deus est; et præterquam quod veritatem nos doceant, nostram quoque negligentiam excitantes, nos corrigunt.

Lectura librorum spiritualium ad perfectionem acquirendam plurimum confert, estque calcas ad virtutes et spirituales vitam.

Scripturæ Sacre aliique libri spirituales, a nobis lecti, instrumenta sunt æternæ nostræ salutis, et ad acquirendum cælum.

Lectio sacra cibis est et nutrimentum animæ.

Oratio connexionem habet cum lectione sacra, ab eaque promovetur; imo in aliquibus oratione superior est; in hac enim nos loquimur cum Deo, in lectione autem Deus nobiscum sermocinatur.

Lectio librorum spiritualium perniciosa potius quam utilis nobis erit, nisi illam ad nostrum profectum ordinemus, idipsum exequendo quod docent.

VERSUS 27.

Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ut omnia mente tua; et proximum tuum sicut te ipsum.

Ille respondens, dixit.

1. — « Dixit quod legerat, » ait glossa, « sed « non implevit, quod scriptum erat; quia in præsentia habebat Deum, quem diligere debebat; « sed hunc, magistrum, non Deum vocat. »

Diliges.

2. — Convenientissime inquit D. Thomas, II, II, qu. xlv, art. 1, constitutum fuisse homini præceptum, de amando Deum : « Cum per charitatem « dirigatur homo in ultimum finem, ac ad ea disponatur, quibus ipsum assequitur, convenienter « fuit, de divina dilectione aliqua dari præcepta. » Et ideo S. Apostolus nos docet, quod *fais præcepti est charitas, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* I Tim., i, 5. Imo omnia Decalogi præcepta ad Dei aut proximi amorem ordinantur.

Dominum Deum tuum.

3. — Didacus Stella diversas conglomerat rationes, ob quas Deus a nobis amari debet : « Diliges, « quia est Deus; diliges, quia Dominus; diliges, « quia tuus; diliges illum propter se; diliges « propter sua, et diliges propter te; ex omni parte « diligendum se exhibet Deus, quia bonus, quia « delectabilis, quia utilis. »

4. — Vocem tuam accurate ponderat Albertus Magnus, dicitque esse tuum : « Qui te jure creationis et redemptionis possedit. *Deut.*, xxxii, 6 : « Dominus Deus tuus, qui possedit, fecit et creavit te; « vel tuus, qui se tibi dedit ad votum et usum. »

Ex toto.

5. — S. Bonaventura docet : « Ad perfectum « modum diligendi Deum requiritur, quod referamus in ipsum omnes cogitationes, omnes affectiones et omnes operationes. »

6. — Tribus terminis scholasticis, comparative, finaliter et appetitive, hanc nostram Deum ex toto corde diligendi obligationem elucidare placet. Primo igitur Deus toto corde comparative amandus est a nobis, id est, tanto Deum amore prosequi oportet, ut nullam, ne minimam quidem cordis nostri partem possideat inimicus, diabolus scilicet, mundus, vel peccatum. Proinde S. Basiliius ait : « Hoc quod ex toto dixit, divisionem in alia nullam admittit, qui autem amicus est Dei perfectus, ei totam animam tribuit. » Id quod etiam hisce verbis S. Chrysostomus, *Serm.* cxvii, docet : « Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid

« virtutis humanæ, ita Dei amore vult possideri, ut « homo mundanus non haberet, quod violaret « affectus. » Secundo *finaliter*: quia Deus, tanquam objectum, scopus et terminus omnium cogitationum et operationum nostrarum, affectu et voluntate nostra perfecta diligere debet; ipse sit centrum oportet, ad quod tanquam ad finem ultimum, omnes dirigantur et actionum et intentionum nostrarum linea, præponendo ipsum omnibus rebus aliis tam integre et perfecte, ut potius omnium aliorum, quam unius Dei gratiæ et amicitia jacturam facere statuamus. Tertio tandem *appretiative*, id est, tantus debet nostri esse in Deum amor ut omnia alia nihil estimemus in comparatione Dei, ut totum cor et voluntatem nostram nulli rei alteri, quam divinæ obedientiæ adimplendæ implicemus; ut diligamus eum amore non solo concupiscentiæ, sed et amicitia; id est, non propter interesse aut commodum quodecumque, nobis inde resultans, sed quia ipse in se et secundum se, omni amore dignus est. Nostrum hoc divini amoris debitum paucis expressit Victor Antiochenus, iniquis: « Homo « tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus « in ullam animæ facultatem irrepere sinat, quod « suam erga Deum dilectionem excludat, aut dimi- « nuat, aut alio transferat; se in omnibus illi soli, « magis magisque assidue placere satagat, nec « alteri personæ aut rei create, nisi per Deum. »

7. — Albertus Magnus bene advertit in præsentii, nihil nobis impossibile præcipi, non enim hac lege Deus ad majorem sui amorem nos astringere querit, quam nos ipsi impertiri possimus pro viribus nostris: « Tangit dilectionis quantitatem, juxta « possibilitatem diligentis, et non secundum valo- « rem rei dilectæ, quia secundum hanc non est « creatura, quæ possit diligere; sed sic se diligunt « ad invicem Pater, et Filii, et Spiritus Sanctus. »

8. — Docet Toletus hanc amoris totalitatem tunc possideri: « Quando sic diligimus Deum, quod « omnes partes nostras ejus obsequio accommoda- « mus. » Harum autem partium distinguit et assignat quatuor: « Mens seu intellectus; voluntas seu « affectus, quæ dicitur cor; sensus seu pars sensi- « tiva, in qua appetitus sensitivi sunt, et sensus, « quæ appellatur anima; corpus, diversa et multa « membra habens, quod significatur per vires seu « virtutem; qui ergo ex Dei amore omnes has « accommodat Dei servitio, et implendæ ejus legi, « is diligit mente, corde, anima et viribus. »

Corde tuo.

9. — Dubitaverit forte quispiam, an et qualiter Deum corde diligere possimus; quia *diligere non est actus corporis*; cor autem membrum est corporis, non potentia animæ. Huic difficultati respondet S. Thomas, *qu. XLIV, art. 5*: « Convenienter nobis « præcipitur, ut Deum diligamus ex toto corde, id

« est, ut tota nostra in Deum referatur voluntas; « dilectio est actus voluntatis, quæ hic significatur « per cor; nam sicut cor corporale est principium « omnium corporalium motuum, ita etiam volun- « tas, et maxime quantum ad intentionem finis « ultimi, qui est objectum charitatis, est princi- « pium omnium spiritualium motuum. » Progredi- « tur Angelicus Doctor ostendere, quo sensu verba illa sequentia, *ex toto anima, ex totis viribus, etc.*, intelligenda sint: « Tria sunt principia actuum, « quæ moventur a voluntate: intellectus, qui signi- « ficatur per mentem; vis appetitiva inferior, quæ « significatur per animam; et vis executiva exte- « rior, quæ significatur per fortitudinem, seu vir- « tutem, sive vires; præcipitur ergo nobis, ut tota « nostra intentio feratur in Deum, quod est *ex toto « corde*, et quod intellectus noster subdatur Deo, « quod est *ex toto mente*; et quod appetitus noster « reguletur secundum Deum, quod est, *ex toto « anima*; et quod exterior actus noster obediat Deo, « quod est *ex toto fortitudine*, vel *virtute seu viribus* « Deum diligere. » S. Augustinus, *lib. I de doctr. in Chr., cap. xxii*, cordis nomine cogitationes intelligi judicat: « *Ex toto corde*, ut omnes cogitationes « tuas; *ex toto anima*, ut omnem vitam tuam; *ex « toto mente*, ut omnem intellectum tuum in illum « conferas a quo habes ea, quæ confers. » S. Gregorius Nyssenus, citatus a S. Thoma, dicit in *corde* animam vegetativam, in *anima* partem sensitivam, et in *mente* signari intellectivam: « Quia hoc, per « quod nutrimur, sentimus et intelligimus, debe- « mus ad Deum referre. »

10. — In prima fronte nihilominus, præceptum hoc diligendi Deum ex toto corde, impossibile adimpleti videri posset, quantumcumque enim Deum in hac vita amemus, atamen cor nostrum naturaliter aliis insuper occupatur affectibus; pro hujus difficultatis emodatione, Doctor Angelicus duos distinguit modos, secundum quos intelligi potest, quod Deum ex toto corde nostro diligamus: « Uno modo, id est, ut totum cor hominis semper « actualiter in Deum feratur, et ista est perfectio « patriæ; alio modo, ut habitualiter, ita scilicet, « quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis « recipiat, et hæc est perfectio vite. »

11. — Dionysius Carthusianus ita verba illa, *ex toto corde*, interpretatur: « Id est, ex tota voluntate, « seu toto voluntatis desiderio et affectu. Per cor « designatur voluntas, quoniam sicut cor est pri- « mum movens, et cætera membra movens, sic « voluntas per charitatem primo vivificatur, et « cætera animæ movet vires. »

12. — Hugo Cardinalis autem cordis nomen intellectui cujusque nostrum attribuit, qui tantus, quantum est, Deo subjectus esse debet: « Id est, « toto intellectu; ut omnis intellectus tuus subdi- « tus sit intellectui Deo; » citatque pro se illam S.

Bernardi glossam: « *Ex toto corde*, id est, sapien- « ter. »

Ex tota anima sua.

13. — Videlicet, scribit S. Thomas, « ut om- « nis noster appetitus reguletur secundum Deum. » Eadem plane est interpretatio Dionysii Carthusiani, dum inquit: « Id est, secundum potentias animales « et sensitivas, ut sensus interiores et exteriores, « appetitusque sensitivus, tam concupiscibilis quam « irascibilis, rationi ac legi divinæ subdatur; atque « secundum Deum, et, ut exigit ejus dilectio, ad « charitatisque effectum expedit, refrenentur ac « dirigantur. »

14. — Hugo Cardinalis diversa interpretatione usus per amorem totalem animæ, perfectam intelli- git voluntatis nostræ subjectionem ad Deum: « *Ex « toto anima*, id est, tota voluntate, ut omnis volun- « tas tua subdita sit voluntati divinæ; » utitur autem illa S. Augustini sententia: « *Ex toto anima*, « id est, tota voluntate sine contrarietate; ibi « voluntas se totam colligit, ubi eî nihil est contra- « rium: » citat pariter S. Bernardum, dicentem: « *Ex toto anima*, id est, dulciter. »

Et ex omnibus viribus tuis.

15. — Objectionem facit in præsentii Dionysius Carthusianus, iniquis: « Jam de viribus, per cor « et animam designatis, mentio facta est; cur ergo « nunc addit, *ex omnibus viribus tuis*? » Respon- detque ipsemet objectioni dicens: « Ut intelligatur « quantum ad executionem et usum virium in « exterioribus operibus, quatenus etiam illa virili- « ter, ad Dei honorem, cum discretione agantur, « ut ait Apostolus: *Rationabile obsequium vestrum.* »

16. — Hugo Cardinalis cunctas hæc vires in unaquaque dicit exigi potentia: « Ex totis viribus « totius cordis, ex totis viribus totius animæ, ex « totis viribus totius mentis; *ex toto corde*, quia « Dominus; *ex toto anima*, quia Deus; *ex toto mente*, « quia tuus. »

17. — « Id est, » dicit S. Thomas, *art. 5*, « ut « omnis Deo noster subdatur exterior actus. »

Ex omni mente tua.

18. — Hugo Cardinalis dicit, diligere Deum ex omni mente, idem esse ac si juberetur: « Ut omnes « operationes propter Deum facias. » At Dionysius Carthusianus glossam instituit sequentem: « Id est, « toto intellectu et intentione, ne in intellectu sit « error, aut intentio charitati Dei repugnans. »

19. — S. Augustinus, a Cardinali Hugone cita- tus, dicit: *Ex toto mente*, id est, memoria sine diffi- cultate vel sine oblivione; *tota mente*, ut omnes sensus tui Deo vacent, intellectus, cogitatio, sapien- tia, memoria. S. Bernardus, ab eodem Hugone allatus, inquit: « *Tota mente*, id est, fortiter. »

20. — Juxta D. Thomæ, *art. 5*, interpretatio- nem: « *Ex toto mente*, id est, ut noster intellectus « Deo subdatur. »

21. — In libro quarto Regum, x, 30, laudat Dominus Jehu, Regem Israel: *Ejisti, quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti*. Nihilominus paulo post dicitur de eodem: *Jehu non custodivit, ut ambularet in lege Domini Dei, in toto corde suo, non enim recessit a peccatis Jeroboam*. Considerans sollicite Jansenius hunc Sacræ Scripturæ locum, sequentem elicit doctrinam: « Ille non diligit Deum *ex toto corde*, « qui non studet omnia ejus præcepta adimplere. » Tandem vero immediate præmissa sacri Evangelii verba, hoc præclaro illustrat discursu: « Itaque « præceptum hoc sic explicari poterit: *Diliges, etc.* « Hoc est, non tantum times Dominum Deum « tuum, sed etiam diligas, idque non tantum « lingua et verbo, quemadmodum de quibusdam « dicitur: *Dilexerunt eum in ore suo, cor autem « eorum non erat rectum cum eo*, sed etiam ex corde, « neque corde diviso ut remisso, sed corde toto, « integro et perfecto; quod ut vere præstes, ante « omnia requiritur, perpensa Dei erga homines « bonitate, summaque ejus æquitate et perfectione « animadvorsa, sed toto affectu in illum, tanquam « in summum bonum feraris, ut nihil illi in amore « præponas, aut in amoris societatem aut qualita- « tem admittas, sed illum præ omnibus ames, « reliqua vero propter illum, aut saltem non contra « ejus voluntatem aut præceptum. »

Et proximum tuum, sicut teipsum.

22. — S. Thomas, *ibid., art. 7*, convenienter admodum præcepto amoris divini, aliud de dilectione proximi mandatum in lege subjunctum esse docet, conclusionem sequenti: « Propter Dei dilectio- « nem convenienter homini mandatum fuit, ut « proximum suum sicut seipsum diligeret, id est, « sancte, juste et veraciter. » Duo porro, ut idem Angelicus Doctor advertit, hoc in præcepto nobis exhibentur: « Diligendi ratio et dilectionis modus; « ratio diligendi ex eo, quod proximus nominatur, « propter hoc enim ex charitate diligere debemus « alios, quæ sunt nobis proximi, et secundum nata- « ralem Dei imaginem, et secundum capacitatem « gloriæ. Modus dilectionis, cum dicitur: *Sicut « teipsum*, non ut sibi æqualiter diligit, sed simi- « liter sibi; et hoc tripliciter: primo, ex parte finis, « ut diligit propter Deum, sicut seipsum propter « Deum debet diligere, ut sic sit dilectio proximi « sancta; secundo, ex parte regulæ dilectionis, ut « non condescendant proximo in aliquo malo, sed « solum in bonis, sicut suæ voluntati satisfacere « debet homo, solum in bonis, ut sic sit dilectio « proximi justa. Tertio, ex parte rationis dilectionis, « ut scilicet non diligit aliquis proximum, propter

« propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione, qua velit proximo bonum, sicut vult sibi ipsi, ut sic dilectio proximi sit vera; nam cum quis diligit proximum, propter suam utilitatem, vel delectationem, non vere diligit proximum sed se ipsum. »

23. — Didacus Stella nimiam et excessivam quasi docet esse Dei sollicitudinem, qua proximi nobis dilectionem inculcare conatur, hanc enim associat, et æqualem quodammodo cum amore sui præcipit: « Ab eodem fonte et radice uterque provenit. » Imo charitatem proximi tenacius quasi cordibus nostris imprimere voluisse videtur, quia, ut idem Auctor bene advertit, Deus tractans de amore sui, in prima tabula, duobus rem totam absolvit præceptis; at in secunda, ubi agit de amore nostri in proximum, ad duplo plura, sena scilicet sese extendit mandata.

24. — « Ad commendandum hanc dilectionem, » inquit Seraphicus Doctor, « voluit Deus, quod nasceretur ex uno patre Adam, quod redimeretur eodem sanguine, scilicet Jesu, quod remuneraretur eadem mercede. »

25. — Tres principaliter proximum amandi modos nobis exhibet Dionysius Carthusianus verbis sequentibus: « Vere, ordinate et spiritualiter, « optando ei bona gratiæ in præsentem et bona gloriæ in futuro. »

26. — Prosequitur exinde idem Auctor, explanando voces *sicut teipsum*, dicitque: « Id est, propter Deum et ob æternam felicitatem; videlicet quia Deus præcepit, et quia ad eius imaginem factus est proximus tuus, et quoniam Deus est prima causa et ratio totius amabilitatis. »

27. — Ingeniose insuper Jansenius advertit, nobis non præcipi a Deo: « *Diliges proximum tuum*, quantum teipsum; quia ordo nature charitatis, de qua scriptum est: *Ordinavit in me charitatem*, « habet, ut plus me quam proximum diligam; sed dicitur: *sicut teipsum*, hoc est, eo modo, quo teipsum diligis. » Adhibetque Auctor tres præmissos in *paragr.* 22, proximum diligendi modos, a S. Thoma traditos.

28. — Differentiam propemodum exiguam, in duobus hisce Deum et proximum diligendi præceptis agnoscere videtur Chrysostomus, dum ait: « Attende, qualiter fere cum eodem excessu postulat utrumque præceptum; de Deo enim ait: *toto corde tuo*; de proximo, *sicut teipsum*, quod si diligenter conservaretur, nec servus esset, nec liber, nec victor, nec victus, nec dives, nec pauper. »

29. — Utilissimam denique prædictus textus suggerit, omnibus nobis doctrinam, non magis speculationem, quam praxi indignam. Præcipit igitur Salvator noster, ut amemus proximos, sicut nosmetipsos, sed experientia teste, omnes et singuli

seipsum amant, nullo etiam obstante personæ propriæ defectu, nec iracundia, nec paupertate, nec ignorantia aut opprobrio; nullum nos propriæ nature aut moris vitium ab hac nostri ipsius dilectione avellere potest; ergo pariter obligati sumus amare proximos nostros, licet diversos habeant defectus, nullamque a nobis benevolentiam promereantur; amandi sunt ex obedientia proximi quicumque, quia præcipit Dominus, quia ita beneplacitum est in conspectu Dei; diligendi sunt proximi, quia omnes consanguinei nostri, qui naturam habent nobiscum communem, etiamsi moribus forte, gratia aut fortuna discrepent.

30. — Eam porro, quæ inter utriusque huius præcepti adimpletionem differentia intercedit, assignat Toletus, dum ait: « Præceptum diligendi Deum non impletur sine gratia et charitate; cum enim Deus diligendus sit super omnia, qui sic Deum diligit, a Deo diligitur et charitas Dei manet in eo; at proximi dilectio etiam impleri potest ab existente in peccato, quia non diligitur super omnia, et ad diligendum eum, etiamsi diligitur propter Deum, satis est diligere Deum modo aliquo. »

Additiones.

a. — *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. Ecce quam brevis lectio, quam breve compendium totius legis, scilicet amare Deum super omnia et sine modo, et proximum sicut teipsum, hoc est, cum modo. In hoc enim tota lex est, et Propheta; unde præceptum charitatis primum et maximum nominatur, quia omnes leges et præcepta ad charitatem diriguntur. S. Thomas de Villanova hunc amorem totius Evangelii compendium quoddam esse scribit: « In toto sacro Evangelio non invenio quicquam nobis Christus Dominus noster amplius commendaverit quam charitatem. » Notat insuper quod divinus Magister hujus Christus discipulis suis aperite dixerit quod character iis ad hoc imprimendus ut ab omnibus ejus agnoscerentur esse sequaces et discipuli, non consistat in operatione miraculorum, neque in dono linguarum, prophetiæ, sapientiæ, aliisque similibus, sed in sola dilectionis et amoris sui virtute. De mandato charitatis dici potest, quod sit *mandatum magnum in lege*, quia omnino indifferenter, semper, in omni loco et tempore astringit: *Non est qui se abscedat a calore ejus*. Ab aliis quidem legibus aliorumque præceptorum adimpletione, eximere se nonnemo poterit, ab hoc autem præcepto nemo se subducere valebit. Unde Hugo Cardinalis ait: « Nec est qui se a possit excusare quin eum diligere non possit. » *Latum mandatum nimis*, inquit Psalmista, Ps. cxviii, 96, id est, præcepti huius exercitium et adimpletio facilissima existit. S. Thomas primum et excellentiam charitatis pluribus modis considerat, *opusc.*

LXI, dum ait: « Primum est tripliciter. Primum est intentione jubentis: finis præcepti est charitas, finis non terminans, sed consummans, ad quem omne præceptum ordinatur; Rom., xii, 10: *Plenitudo legis est dilectio*. Primum in necessitate observationis. Primum in ordine dignitatis: hic enim actus dignissimus est cujus dignitas cognoscitur ex tribus: ex potentia a qua egreditur actus; hæc est voluntas summa et dignissima potentia animæ. Ex habitu vel dono potentiam informantem et super se elevante; hoc est charitas que est summum donum, quod patet, quia ab ipsa summus ordo denominatur, scilicet Seraphim, id est, ardens. Item ex objecto, quia in summum bonum dirigitur, scilicet Deus. »

b. — *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua*, id est, ex tota memoria tua, ut memor sis divinorum beneficiorum et illorum non obliviscaris. Illorum enim recognitio, observantiæ legis divini, cujus observantia certissimum amoris indicium est et charitati cooperatur.

VERSUS 28.

Dixit illi: Recte respondisti; hoc fac, et vives.

Dixit illi: Recte respondisti.

1. — Laudat sapientissimus Magister hanc præclaram Legisperiti responsum, idque jure meritissimo, quia « velut epilogus legis totius sunt, » inquit Toletus, « hæc duo mandata. » Unde et apud S. Matthæum, xxi, 40, Dominus protestatur, dicens: *In his duobus mandatis universa lex pendet*. Præceptum quod nos Apostolus, Rom., xiii, 10, doceat: *Plenitudo legis est dilectio*.

2. — « Perfectum iter, » scribit Glossa, appellans super Christum respondentem, « vita cœlestis ostendit; dum Legisperito, de dilectione Dei et proximi scripta proponenti, respondit: *Recte respondisti*. » Observat autem Didaeus Stella, Legisperito de nullo opere bono, sed de sola responsione a Christo commendatum fuisse, unde sequentem elicit moralitatem: « Multorum verba laudabilia sunt, opera autem non sic; pius est quorundam sermo, sed opera iniqua; cælum non emittit sermone polito et composito, sed sanctis et justis operibus. » Suam hoc dicto Legisperito non exiguam probavit scientiam, utpote qui tam apposite respondit, ut ab ipsamet Sapientia divina laudari mererit; sed quid illi proderat, siquidem iniquo et perverso animo accessit ad Christum, tentaturus? Quid proderit in extrema mortis hora eloquentem fuisse, quid egregium concionatorem, si conscientiam male sanam habuerit?

Hoc fac, et vives.

3. — Existimat Salmeron, Christum hoc sermonis nexu voluisse expræbare Legisperito, quod opera

ejus non corresponderent verbis: « Quasi diceret: « dicis et non facis, qui me proximum odisti et tentasti; plus enim plerique amamus de pietate disputare, quam in via pietatis ambulare. » Idem ex hisce verbis documentum elicit Hugo Cardinalis, dum inquit: « Quasi dicat: hoc doces sed non facis; si vis vivere vita æterna, *hoc fac, et vives*. » Unde quod dicit Dominus: *Recte respondisti*, non factum ejus, sed responsum laudavit; sicut multorum verba laudabilia sunt, sed facta vituperabilia. »

4. — Ingeniosam denique horum verborum glossam nobis exhibet Cajetanus dicens: « Non cogita, non dic, non scribe, sed fac; nec dixit hæc, sed hoc, quoniam unum sine altero fieri nequit. »

Additiones.

a. — *Et dixit illi: Recte respondisti; hoc fac et vives*. Quæsierat Legisperitus: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Propositæ interrogationi satisfacit Dominus. Et non ait: Hæc cogita, vel dic, vel scribe, sed *fac*. Non enim sufficit scire vel dicere, sed facere, nec tantum scire quid mandaverit Dominus, sed *observare*, quod hic idem importat ac *facere*. Et tunc *vives*, non quæcumque vita, sed vita in æternum beata. Sola enim preceptorum observantia ad beatitudinem acquirendam sufficit. Albertus Magnus dicit: « Radix immortalitatis custodia est legum divinarum, juxta illud Sapientis, vi, 19: *Dilectio, custodia legum illius est; custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est*. » Et ideo anima que irreprehensibilis est et immaculata esse desiderat, divinam legem zelose et sollicitè custodiat. Si vis ad vitam ingredi, *serva mandata*. *Matth.*, xix, 17.

b. — *Hoc fac et vives*. Non tantum scire sed observare oportet mandata Domini. Ideo abominabiles sunt coram Deo ii Christiani, qui fidem quidem profitentur extrinsecus et factis negant. Hanc fidei abnegationem de qua dicit Apostolus, *Ti.*, i, 16: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, sacri Expositores per varios sensus explicunt. Dionysius Carthusianus hanc illis verbis subnectit interpretationem: « Qui nunc impie vivunt, ac si Deus non esset. Operibus ergo loquuntur Deum non esse, dum eum non sicut Deum honorant, nec ejus justitiam pensant. » Citatque testimonium S. Joannis asserentis: *Qui se dicit nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est*. S. Thomas super illa citata ad Titum verba: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, textum illum Isaie, xxxix, 13, adducit, in quo dicitur: *Populus iste ore suo et labiis suis glorificat me; cor autem eorum longe est a me*. « Negant eum factis; qui enim peccat in quantum est de se, negat eum factis. » Dicit insuper eos qui non curant bonam

conscientiam, sed in quævis se peccata præcipient, difficilem converti ad Deum, idque aliquot argumentis confirmat dicens: « Sunt tria per quæ homo redit ad Deum, scilicet, Dei gratia, fides, exercitium boni operis. Lex tria excludit ab ipsis. »

VERSUS 29.

Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est proximus meus?

Ille autem volens justificare seipsum.

1. — Sentit Jansenius, hunc loquendi modum ordinario ab historia sacra in sinistram partem accipi, siquidem apud eundem Evangelistam, Pharisæus Christus reprehensus, inquit, *Luc.*, xvi, 15: *Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus.* Ex quibus evidens deducitur hujus propositionis sensus, nimirum: « Justificare hic positum est, pro declarare et ostendere justum, quemadmodum enim superiori responsione se declaraverat doc-tum, Domino approbante ejus responsionem, ita jam se voluit monstrare etiam justum. » Voluit equidem hic Legisperitus suam ostentare virtutem, et sufficientem ad alios in dilectionis præcepto instruendos scientiam, simul et insinuare, quod debitam hujusce præcepti praxim in semetipso nosset exercere.

2. — « A Domino laudatus, » inquit Glossa, « in superbiam proripit; ponit namque se nullum habere proximum, hoc est, nullum extare qui secundum exactam justitiæ rationem cum illo conferri queat. » Ejusdem quoque sententiæ fuit Isidorus Pelusiota, qui in hujus fastuosi doctoris persona ita inquit: « Ostende mihi aliquem, qui tam magnus sit, ut possit tecum comparari. »

3. — Notat Lyranus, dupliciter verba illa explicari posse: primo, quod voluerit semetipsum justificare quantum ad apparentiam; secundo, quantum ad substantiam, quod scilicet in rei veritate desideraverit intelligere a Christo, quis esset suus proximus, ut dictum in eo præceptum adimplere posset. Hujus porro perplexitatis causa ex eo videtur oriri, quia nimirum initialiter ad Christum accesserat, perversa cum tentandi intentione; sed postea Christi verbis compactus fuit, et ideo dixit ei « Christus: Non longe es a regno Dei. » Ex quibus innotescit, quam sit utilis ad Christum appropinquatio, licet primordially perversæ innotuit intentioni; multi namque sæpe Ecclesiam adeunt, alio quam devotionis aut divini verbi audiendi fine, Deus interim multoties corda eorum tangit et compungit. Eandem quoque sustinet opinionem Toletus, dum ait: « Prosequitur interrogare, non ante, nam prius tentans interrogavit, nunc vero audita Christi responsione ac sui ipsius commendatione, animum mutavit et iterum interro-

gavit, volens justificare seipsum, id est, animo et studio incumbendi justitiæ, et bene operandi; sicque quæ ignorabat, a Christo explicari petit. » Consonat huic Toleti sententiæ, illa super eundem textum scribentis, S. Bonaventura glossa: « Id est, ad justitiam preparare, quod fit per fidem et intelligentiam veritatis. »

Et quis est proximus meus?

4. — Juxta Cajetani sententiam: « Putavit ille appellari proximos, solos viros justos aut Israelitas. » Attamen plenius elucidat Toletus, quem sincera veriorque existerit hujus Scribæ intentio: « Particula et, scilicet: *Et quis est meus proximus.* » argumentum significat, quasi diceret: Dixisti quid faciam, ut vitam æternam possideam; die etiam et declara, quis sit meus proximus. » Huic porro instantiæ occasionem dedidit videtur, tum Judaicarum opinionum circa hujus præcepti explanationem diversitas, tum multiplex Sacre Scripturæ textus, ubi proximus modo sub amici, modo sub socii nomine exprimitur. Interim ex hisce omnibus prædictis Anctor sequens elicit argumentum: « Non fuit sine fructu Domini commendatio, qua dixit: *Recte respondisti;* mutavit enim animum hominis, et ex tentante convertit in studiosum voluntatis divinæ implendæ. » Ecce libi fructum benignæ affabilitatis ad omnes, etiam ad impios; quam ob causam merito Apostolus, *Rom.*, ii, 4, ait: *An ignoras, quod benignitas Dei ad penitentiam te adducat?*

5. — His non obstantibus, Carthusianus probare nititur, illam Legisperiti interrogationem malitioso animo factam fuisse; intelligens enim hic Scriba, quod juxta Christi sententiam et doctrinam, dilectioni proximi ipse etiam inimicus inserendus esset: « Putavit esse contra legem Moysi, quia Judei quam plurimum per proximum non intelligebant nisi Judeos, et cæteros reputabant alienos. » Si igitur Christus dixisset nomine proximi intelligendum esse quemcumque hominem, illico accusasset eum tanquam legis transgressorem; si vero Christus per proximum, solummodo denotari dixisset, populum hebraicum, jactasset se utique Legisperitus de plena legis observantia, utpote qui nullum non amaret gentis suæ hominem: « Sed ut Salomon loquitur, *Prov.*, i, 17: *Frustra jacitur rete ante oculos peccatorum;* unde et Christus sapientissimus sic respondet, quod insidiatorem propria rursus responsione concludit. »

6. — Eandem cum Carthusiano opinionem sustinet S. Cyrillus, citatus in *Catena*: « In hoc, quod querit: *Quis est meus proximus,* vacuus a dilectione proximi ostenditur; cum non æstimet aliquem sibi proximum esse, et per consequens a dilectione divina; quoniam cum fratrem non diligit, quem videt, non potest Deum diligere, quem non videt. *1 Joan.*, iv, 20. »

VERSUS 30.

Suscipiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam dispoliaverunt eum, et plagis impositis abierant, semivivo relicto.

Suscipiens autem Jesus.

1. — Aliqui interpretes legendum existimant: *Suscipiens.* Unde S. Bonaventura inquit: « Sursum aspiciens, in quo ostendit, quod, qui vult intelligere veritatem, debet sursum aspicere, unde micat verum lumen: *Fons Sapientiæ, et verbum Dei in excelis. Eclii.*, i, 5. » Sed contra hunc legendi modum pugnat Jansenius, dum ait: « Male legitur *aspiciens,* legendum *suscipiens.* » Ita etiam habent tam exemplaria antiqua, quam editio Vulgata.

2. — Bene Lucas Brugenensis advertit, quod Christus « conscius erroris, quo laborabat » Legisperitus, non requisivit ab eo, ut suum circa præcepti illius intelligentiam, ediceret sentimentum: « Verum ipse suscepit respondendi partes, quod questio utilis esset, et Legisperitorum circa eam error merito confutandus. »

Homo quidam descendebat.

3. — S. Bonaventura, *Serm. in Ev.*, in hoc descensu ruina in peccatum designari existimat, dicens: « Quatuor miseriae incurunt homines cum peccant: celesti gratia privantur: *Descendebat ab Jerusalem.* » Per Jerusalem namque intelligit visionem pacis seu cælum, juxta illum Isaie textum: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Secunda miseria est, quod « daemonibus subjugatur, » designata in verbis: *Incidit in latrones.* Tertia consistit in expoliatione: « Bonis gratis expoliatur. » Et ideo dicitur quia *expoliaverunt eum.* Quarta notatur in illis verbis: *Vulneraverunt eum;* indicatque quod peccatores « in bonis naturalibus vulnerantur. » Observat Salmeron, Christum dicere in præterito imperfecto: *descendebat;* cum tamen hæc Christo dicente, descensus jam consummatus fuisset; cujus dicit hanc esse dicit rationem: « Semper enim humana natura ad malum labilis est. » Albertus Magnus ait: « Descendit, quando peccato consensus dedit. » Lyranus denique hunc textum moraliter interpretatur de homine, in peccatum corruente, dum inquit: « Intelligitur de peccatore, descendente a statu justitiæ in peccatum mortale, qui spoliatur a demonibus donis gratiæ, et vulneratur in donis naturæ, et relinquitur semivivus, quia tollitur ab eo vita gratiæ remanente vita naturæ. »

Ab Jerusalem in Jericho.

4. — Lyranus aliquorum citat opinionem, existi-

mantium, hanc nudam esse parabolam, alii autem contra, taliter in rei veritate accidisse credunt, quia inter Jerusalem et Jericho quoddam erat desertum, in quo viatores sæpius spoliabantur et occidebantur; ubi etiam Rex Sedaecias ab hostibus profugus, captus fuit. Ab his idem Auctor ad sensum morale digrediens, ait: « Per Jerusalem status virtutis designatur, et ideo per hominem descendentem ab Jerusalem in Jericho, peccator designatur, qui incidit in latrones, id est, demones spoliantes, eum gratis et in naturalibus vulnerantes. »

5. — « *Descensus ab Jerusalem,* » verba sunt Simonis de Cassia, « aversio est a pace, a virtute, a quiete, a templo sacramentorum Dei. » Per civitatem Jericho, instabilitas signatur mundi, per Jerusalem vero constantia virtutis et perfectionis, *Psal.* cxxi, 2: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.* Qui ergo descendit de statu hoc, id est, qui velut instabilis virtuti Christianæ non adhaeret, sed peccata repetit, in mundum regressurus, is nulli non se exponit periculo. Quamdiu Sponsa, de qua in Cantico Canticorum, sequestrata resedit, merito dicere poterat: *Lectulus noster floridus; falcite me floribus; ego maris et ubera mea sicut turris;* tandiu sine metu et pavore, quæta delitesceret; sed quam primum suo se loco movere statuit, perque urbem divagari coepit, symbolum animæ, quæ a secessu suo ad latam mundi viam regressurus, primarumque conversationum et occasionum impetum sectatur, si tunc subito in miseriis et placentibus, inque armatis incidit cohortes: *Invenierunt me custodes, qui circummeant civitatem, percusserunt me et vulneraverunt me; tulerunt pallium meum.* S. Hieronymus, alludens ad hunc Sacre Scripturæ locum, in quadam epistola sic ait: « Loquatur ipsa electo: *Introduxit me Rex in cubitulum suum,* nunquam exeat foras, ne inveniant eam, qui circummeant civitatem, et non percussant et vulnerent. » Juxta SS. Augustini et Bonaventuræ sententiam, ille de Jerusalem in Jericho descendens pessimeque in via habitus protoparentem nostrum designat; unica autem tanti adversus eum supplicii et severitatis origo, solus fuit unus piumi gustus, ideo hic descendit de Jerusalem, dum peccatum ejus aggravavit et interni luminis intensio et magna tum Dei, tum offensæ divina notitia. Vix admirari satis potest Oleaster, quomodo Deus tanta mansuetudine usus sit erga tot enormes peccatores, latronem in cruce, Magdalenam et alios similes, contra Adamum vero tam rigoroso usus est processu: « Mirum valde videtur, quod tam leve, ut videtur, delictum tam gravis poena sequatur. » Huic Auctor ipse objectioni satisfacit, dicens: « Ubi simul advertit mali conditionem, ut non solum factum sed cognitum nocet. » Dicere nequaquam poterant cum Apostolo, *1 Tim.*, i, 13: *Ignorans feci.* Non prima prevaricatrix Eva vocata fuit, ut rationem redderet